



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Antiphonis maioribus Aduentus. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

Vesperarum, & Laudum, ad excitandos animos erga Christum venientem, & congruentius nunc mutatur in Dominica tertia, quam in Feria 4. quatuor temporum, vt ante Pium Quintum fiebat.

5 S. Hilar. in libro officiorum citatus à Bernone de quibusdam ad Missam spect. c.4. notat, in tribus Dominicis Aduentus significari Trinum Christi aduentum ad ficulneam instructuosam, venit enim ante legem per naturalem hominis intellectum, venit sub lege, cum ipsa lege, venit vltimò per gratiam. Hæc ille.

6 De quatuor temporibus Aduentus, sicut etiam de alijs in Vere, Æstate, & Autumno, satis, superque diximus prior Tomo. Officium est feriale cum Precibus, exceptis Temporibus Pentecostes; & appellatæ sunt Feriæ maiores in recognitione Breuiarij, vt diximus Sectione tertia c.6.n.2. pag.23.

De Antiphonis maioribus Aduentus. Cap. II.

Antiphonæ maiores in aduentu dicuntur eæ, quæ per septem dies ante Natiuitatem Domini recitantur. incipientes ab, O, quæ maiores alijs sunt, quia duplicantur. De his quærentur quatuor: &

1 Primò: Cur ad Magnificat recitantur? nam ad Laudes congruentius videbantur recitari posse, ad Canticum Zachariæ, quod fuit cantatum de Aduentu Messia Respondet tamen Amalar. de Ord. Antiphon. cap. 13. eas spectare magis ad Beatam Virginem, quàm ad Zachariam. addit Duran. lib. 6. cap. 11. quin Christus expectabatur ad Vesperam mundi, ideo dicuntur in Vesperis, ad Magnificat.

2 Cur duplicantur? ad explicanda iterata suspiria Sanctorum Patrum, Dur. loco citato.

3 Cur septem? Ad litteram, vt per Octauam ante Natiuitatem Domini accedamur erga Christum venturum, admirantes potiùs, quàm vocâtes Saluatorem,

qui iam venit. nam illud, O, admirantis est magis, quam vocantis, ex Amalar. loco citat. Mysticè quoque septenarius numerus significat in Christo septiformem Spiritus sancti gratiam, & septem humani generis miserias, quas ex Antiphonis haustas recenset Duran. loco cit. quarum causa, inquit, egeamus Doctor contra ignorantiam, Redemptore à penis æternis, Liberatore à seruitute diaboli, Eductore à consuetudine peccati, Illuminatore tenebrarum nostrarum, Saluatore ad reducidos exules in patriam, tum Gentes, vt in sexta Antiphona, tum Iudæos, vt in septima.

4 Quis ordo inter easdem? Amalar. loco citato eas enumerat iuxta Antiphonarium Matense, & innuit, ordine diuerso à Romanis recitari. Ordo noster est apud Gemmam lib. 3. cap. 5. & ab eodem auctore sic explicatur; vt in prima Antiphona dicatur Christus, Sapientia, qui venit in spiritu sapientiæ. In secunda, Adonai, quod nomen Moyfi indicauit Deus, qui legem dedit; & venit nos redimere per spiritum intellectus. In tertia, Radix Iesse in signum populorum, hoc est, in signum Crucis, & liberare nos venit in spiritu consilij. In quarta, Clavis David, qui cælum iustis aperit, & infernum claudit in spiritu fortitudinis. In quinta, Oriens, qui nos illuminat spiritu scientiæ. In sexta, Rex gentium, & lapis angularis qui saluat omnes per spiritum pietatis. In septima, Emmanuel, qui venit non sine spiritu timoris, dans cunctis charismata amoris. Hæc ille salsus. Est igitur hic numerus septenarius ex Isa. 11. desumptus.

5 Præcedunt has Antiphonas aliæ ad Laudes, quasi præparatoriæ ad maiores, de quibus Amalar. lib. 4. cap. 30. vt renouemur, ait, paulo ante Natiuitatem. Habebantur de his in Breuiarijs antiquioribus quædam Tabulæ Parisienses, cum hac Rubrica; vt scilicet, si Festum occurreret; completis omnibus de Festo, rursus dicerentur Laudes cum his Antiphonis, & Psalmis ferjalibus, quæ Tabulæ à Pio Quinto mutatæ sunt in Ru-

Rubricam commodiorem, qua quinque Ferie complentur, & quæ in die S. Thomæ occurrunt, in Sabbato collocantur.

6 Tres aliæ Antiphonæ sunt priuilegiatæ in his diebus. Prima est, *Expectetur*, quæ semper in Sabbato dicenda est quarto loco (quod & antiqui obseruauerunt) vt conuincitur Cantico Sabbatino, de quo sumpta est, & bene quadrat Aduentui Domini. Altera est, *Nolite timere*, quæ die 21. Mensis Decembris semper est ponenda, siue sit Festum Sancti Thomæ, siue Dominica; ne enunciatur falsum extra quintum diem ante Natiuitatem. Hæc ante Pium V. dicebatur ter cum. *Gloria Patri*, ex instituto Fratrum Minorum, non Romano; & ideò ritus ille fuit abrogatus. Tertia est, *Ecce completa sunt*; quæ ultimo die dicitur ante Vigiliam Natiuit. ex Tabulis Parisiensibus, Radulpho antiquioribus, quas ille citat, & excludit, *propof. 16.* Congruit autem diei, vt ex verbis eiusdem Antiphonæ constat.

7 Concessit Hispanis Gregor. XIII. vt anticipent prædictas Antiphonas in die 16. Decembris, qua die 17. celebrant Festum Expectationis parris Beatæ Virg. At, quid, quando dies 16. est Dominica? eo anno omittuntur Antiphonæ Ferie 2. ea ratione, quæ in vniuersali Ecclesia omittuntur Antiphonæ illius Ferie, in qua occurrit Festum S. Thomæ, quando Vigilia Natiuitatis occurrit in Dominica, cuius Antiphonæ dicuntur in Sabbato.

8 Et quando alicubi contingit reponi has Antiphonas in Feria diuersa ab ea, cui sunt assignatæ, Antiphona 4. ea erit, quæ conformis est Cantico recitando, sicuti præscribitur de Antiphona: *Expectetur*: reservata Sabbato.

De Dominica quarta Aduentus.

Cap. III.

1 Contingit non legi in officio, Dominica 4. Euangelium, quod ideo saltem in præcedenti Sabbato legitur: puta, quando in hac Dominica occurrit Vi-

gilia Natiuitatis, & eo anno omittuntur Antiphonæ ad Laudes, quæ occurrunt in die Sancti Thomæ, vt in Sabbato quatuor Temporum ponantur Antiphonæ Dominicæ quartæ, quæ omitti non debent. quod affirmat Microl. *cap. 33.* & approbat indagator Romanorum Rituum Radulphus *propof. 16.* qui appellat ibidem supercrefcentia ea, quæ habentur in Breuiario post Dominicâ 4. quia in breuiori tempore Aduentus omittuntur.

2 Et licet in prædicto casu Antiphona quarta Dominicæ omittatur, cuius loco dicitur Antiphona: *Expectetur*: eadem tamen quarto loco resumitur in Vigilia Natiuitatis, ne officium huius Dominicæ vlllo modo pereat.

De Vigilia Natiuitatis Domini.

Cap. IV.

1 SI Vigilia venerit in Sabbato vice Psalms, *Iubilare*, in Nocturno, dicitur Psalmus, *Bonum est*; ne ille bis dicatur, ad Matutinum, & Laudes; & neque hic omittatur in officio.

2 Antiphonæ ad Laudes: *Iudæa, & Ierusalem, &c.* habentur apud Rupert. *lib. 3. cap. 12.*

3 Ritus officij à Laudibus est Duplex, non ante annum 1521. in Breuiar. impressis, at erat etiam in antiquis M.S. duplex; & cum Vigilia sit illius Festi, quod est initium salutis nostræ, iure merito, cū exultatione est celebranda. Est igitur officium partim feriale, quia Vigilia est; partim festiuum, iuxta illud; *Leuate capita vestra, &c.* & vt officium Prima sit solemne, in quo est annuncianda Natiuitas Saluatoris cum solemni Lectione Martyrologij.

4 Legitur Martyrologium cum maiori, quàm aliàs, solemnitate; qua in re quifque abundat in ritu suo: illud est commune ferè omnibus, vt genua flectamus excepto lectore, ad ea verba: *In Bethleem Iudæ, &c.* vsque ad ea: *secundum carnem*; ea ratione, qua ad Missam genuflectimus in Symbolo ad ea: *Et incarnatus est*; & in vltimo Euangelio ad ea: *Verbum caro factum*